Et de eo quod quaeritur a peccato vel munda fuerit vel mundata, quorundam esti-
mationem tacere non debemus, ne forte si non exprobatur non videatur,
et si non videatur, quasi esse credatur quod non est. Quidam putaverunt carnem illam quae
assumpta est a Verbo ita ab initio et in primo parente, quando tota mas-
sa naturae humanae per peccatum corrupta est, a contagione et a cor-
ruptione peccati immunem fuisse custoditam, et ab ipso primo pa-
rente usque ad susceptionem suam a Verbo liberam ab omni peccato
et mundam deductam, et numquam sub peccato fuisse, et ideo a peccato non li-
beratam, sed liberam dicunt, ut quia illa pars naturae humanae sub peccato
esse non debuit, per quam ipsa natura humana quae obnoxia peccato fue-
rat a peccato liberanda erat. Ad comprobandum quoque eandem estimationem
adducunt illud quod apostolus excellentiam novi sacerdotii veteri praeferendo asse-
rens, Melchisedech, qui typum ipsius Christi ac novi sacerdotii gerebat, ab
Abraham decimas accepisse ostendit, in quo decimatione et Levi at-
que veteris sacerdotii ministros descendisse dubium non est, decimatum compro-
bavit, ac per hoc vetus sacerdotium quod in Levi decimas dedit inferius, novum
autem quod in Melchisedech qui forma Christi est decimas accepit superius et digni-
us estimandum. Sed tamen Christum quoque secundum carnem similiter ut Levi in lumbis A-
brahae fuit decimatum non dicunt, ne simili ratione novum quoque sacerdotium
quod in Christo est ibidem decimas dedisse conveniat. Quoniam ergo Levi qui secundum car-
nem in lumbis patris tunc fuit decimatus est, et Christus qui secundum carnem ibidem fuit
decimatus non est, nullam causam aliam inter haec esse posse putant, nisi quia caro
Levi cum culpa ibi fuit, caro Christi non fuit, atque ideo quod peccato obnoxi-
a non erat expiatione eguisse, quod autem mundum atque a peccato liberum erat
non eguisse. Tali quoque ratione se probare putant quod caro illa quae a Verbo assumpta
est numquam obnoxia peccato fuit, sed ab initio sive in eo a quo descendit,
sive in his per quos descendit, munda servata sit a peccato, ut aliquando
esse possit hostia pro peccato. Sed catholicae veritatis diffinitio [illegible]